

XIX.

Programm

des

Stadtgymnasiums zu Stettin


Ostern 1888.

Inhalt.

1. Horatianae prioris libri epistulae quibus temporibus compositae esse videantur.

Vom ordentlichen Lehrer **GEORG GAEBEL.**

2. Schulnachrichten. Vom Direktor **HUGO LEMCKE.**



STETTIN.

Druck von R. Grassmann.

1888.

1888. Progr.-Nr. 132.



1920

Statystyka przemysłu i handlu

1920

1920

Statystyka przemysłu i handlu

1920

1920

Horatianae prioris libri epistulae quibus temporibus compositae esse videantur.

Horatianae prioris libri epistulae quibus temporibus compositae esse videantur etsi saepe a multis doctissimisque viris summo acumine quaesitum esse non nescio, tamen omnes paene et ea re errasse mihi videntur, quod non raro nimia investigandi cupiditate incensi, ut fere fit, pro certis verisque posuerunt ea, quae vel veri similia vel incerta sunt, et in tam diversas partes discesserunt, ut totam quaestionem denuo instituere ac pertractare mihi non inutile esse videatur.

Cum igitur mihi propositum sit, ut quo quaeque tempore prioris Horatiani libri epistula scripta sit, pro meis viribus coner explorare, non idem mihi ordo, in quo epistulae positae sunt, servandus sed de iis primo disserendum videtur, quae quando ortae sint certis quibusdam luculentisque indiciis apparet. Proinde exordiamur ab epistula vicesima. Quae cum epilogi loco toti libro adnexa sit, et per se consentaneum est et ex argumento elucet eam scriptam esse proxime antequam Horatius librum suum publici iuris faceret. Quod quando acciderit, cognoscimus e versibus 26 sqq.:

*Forte meum si quis te percontabitur aevum,
me quater undenos sciat implexisse Decembres,
collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.*

Quanquam docti viri haec verba interpretantes mirum in modum dissentiunt. Nam cum nemo dubitare possit, quin epistula XX post mensem Decembrem a. 733, quo anno Lollius et Lepidus consules fuerunt, composita sit, tamen sunt, qui nimis argutiis usi aliud quidquam inde colligi posse ita negent, ut compluribus annis post annum 733 eam scriptam esse putent.¹⁾ Quorum sententiam facere non possum quin valde improbem. Quae enim causa potest excogitari, cur Horatius non eius ipsius, quo epistolam scripserit, sed prioris nescio cuius anni consules nominaverit? An putas cum Obbario poetam hac re Lollio familiari (c. IV, 9) testimonium amicitiae edere in animo habuisse? Sed quandoquidem Romani ad annos distinguendos vel indicandos consulum nominibus uti consueverant, vereor, ut M. Lollius ornatissimus illius aetatis vir, quem ab Augusto amplissimis honoribus affectum esse constat,²⁾ quod obiter ita ab Horatio nominatus sit, magnae laudi sibi verterit. Qui autem Horatium ita locutum esse opinantur propterea quod aut annus quadragesimus quartus facilius

Ep. XX.

¹⁾ Obbarius in epil. ad ep. I., 20; tom. 2, p. 558 sqq. — ²⁾ Vell. II., 97; Dio 54, 20.

in minores partes possit dividi quam is, cui epistolam attribuendam esse sibi ipsi persuaserint³⁾, aut nomina Lollii et Lepidi metrorum legibus facilius accommodentur,⁴⁾ caveant ne ingenio poetae in pangendis versibus tam pusillam rem curantis quamvis inviti obtrectare videantur.

Quid tandem poeta toto hoc, quem pertractamus, loco sibi voluit? Nempè nihil aliud egit nisi ut librum suum emissurus eos, qui legerent, de se ipso suaque vita faceret certiores. Itaque praeter alias res eo pertinentes, ne de aetate sua quis celaretur, dixit se anno 733 quater undenos annos implevisse. Quae verba nisi significarent poetam eo ipso tempore, cum hoc scriberet, quadraginta quattuor annos peregisse, non solum a totius loci sententia sed etiam a communi intelligentia plane abhorrerent. Quis enim est, qui interrogatus de aetate sua respondeat se aliquando nescio quot annis prius quadraginta quattuor annos egisse? Eiusmodi quaesitae ambages artificiaque alienissima sunt a simplici et dilucido, quo Horatius in epistulis utitur, dicendi genere. Mittamus igitur nugas illas perversa sagacitate ortas et constituamus epistolam vicesimam inter octavum diem Decembrem anni 733 et eundem diem anni 734 scriptam esse ab Horatio quadragesimum quintum annum agente.

Isdem temporis quasi cancellis editio totius libri epistularum circumscribenda est, nisi forte Kirchneri sententiae assentiris,⁵⁾ qua putat eclogam XX non epistularum sed epodon syllogae comitem datam esse. At neque metrum dactylicum iis convenit neque credibile est poetam iam tot annis postquam scripsisset edidisse neque intellegi potest, cur versus illos non ipsi epodon sed huic epistularum libro addiderit. Neque enim dubium est, quin poeta hanc epistolam nec ad quendam amicorum nec ad librum suum, ut fingit, sed ad lectores scripserit. Quod si eos, qui iam lecturi erant, alloqui voluisset, ipsi epodon libro epistula fuit inserenda; quoniam in epistularum libro eam collocavit atque postremum ei epilogi locum dedit, fieri non potuit, quin omnes lectores ad hunc epistularum librum eam pertinere existimarent.

Verum ad illam sententiam Kirchnerus nulla alia adductus est causa nisi quod et I et XIII epistulas post annum 734 scriptas esse opinatur. Falsum autem id esse paulo infra hoc libello me demonstraturum spero. Itaque ubi illam quam dialectici dicunt sumptionem everterimus, conclusionem ipsam quoque dilabi necesse erit neque quidquam nos impediet, quominus inter d. VI. Id. Dec. 733 et eundem diem consequentis anni totum epistularum librum editum esse statuamus.

Ep. XIII.

Cum vicesima quam pertractavimus epistula componere licet tertiam decimam, qua Horatius Vinnium volumina quaedam carminum ad Augustum perferre iubet. Quae volumina neque epistulas ipsas neque satiras sed tres priores odarum libros continuisse multis rebus comprobatur. Etenim de hoc ipso epistularum libro quominus Horatium loqui suspicemur, cum pluralis numerus⁶⁾ tum temporum ratio obstant. Nam quoniam per totum eum annum (Dec. 733/4), quo epistularum librum editum esse demonstravimus, Augustus in Asia commoratus est, Vinnio illuc proficiscendum fuit; tam longum autem ad iter epistolam referre iocoso lepidoque eius sermone prohibemur. Ac ne satiris quidem pluralis numerus convenit, quia duos satirarum libros non uno eodemque tempore sed separatim spatio quodam interiecto editos esse inter doctos viros constat;⁷⁾ adde quod intellegi nequit,

³⁾ Dillenburger in editione sua ad h. l.; Düntzer, Kritik des Horaz, 3. p. 68. — ⁴⁾ Christ. fastorum Horatianorum epicrisis. Monachii 1877. p. 22. — ⁵⁾ Quaestiones Horatianae. Numburgi 1834. p. 36 sqq. — ⁶⁾ Volumina v. 3, libellis v. 4, fasciculum librorum v. 13. — ⁷⁾ Franke, fasti Horatiani p. 35 sqq. — A. Kiessling, Q. Horatius Flaccus. II. p. X. sqq.

cur Horatius hanc eelogam satiris, a quorum genere et indole haud ita longe abest, inserere noluerit. De iamborum vero libro e tot doctissimis qui hanc rem quaesiverunt viris ne cogitare quidem, quantum scio, quisquam ausus est. Restant odarum libri, quas poeta insuper vocabulo carminum (v. 17) manifeste significat, quo vocabulo lyricum genus nominare et sermonibus opponere solet. Quoniam autem carminum tres priores libros eodem tempore editos, quartum post longum intervallum⁸⁾ compositum esse nemo negat, quispiam denique dubitaverit, utrum ad hunc ultimum an ad illos priores epistula XIII spectet. Atqui insunt in quarto libro carmina non nulla,⁹⁾ quae aliquanto post a. 734 orta sunt, cuius ante exitum librum nostrum epistularum ab Horatio publici iuris factum esse vidimus. Relinquitur, ut tres priores carminum libros iussu Flacci ad Augustum ferentem Vinnium hac epistula a poeta esse admonitum putemus.

Itaque quo certius quid de tempore epistulae XIII constituamus, quaerendum est, quando tres illi carminum libri ad umbilicum adducti et editi esse videantur. Hac de re post C. Franke¹⁰⁾ nuper Ad. Kiessling¹¹⁾ ita egit, ut dubitatio mihi quidem videatur relinqui nulla. Cuius vestigiis insistere mihi liceat. Carminum libros ante finem a. 731, quo anno Claudius Marcellus gener Augusti mortuus est, editos esse e c. I, 12 apparet. An quisquam putat Horatium tam agrestem ineptumque fuisse, ut versus hos

*crescit occulto velut arbor aevo
fama Marcellis*

Augusti recenti Marcelli morte summo maerore affecti oculis subicere non vereretur? Neque magis credibile est Horatium carmina duo ad L. Licinium Murenam¹²⁾ scripta syllogae suae inseruisse post patefactam Fannii Caepionis coniurationem, cuius particeps Murena capitis damnatus mortem obiit. Quid enim? postquam Cornelius Gallus elegiarum scriptor inimicitias Octaviani ad voluntariam mortem compulsus est, nonne Vergilius amicissimus eius, qui eum quarto Georgicon libro summis extulerat laudibus, adeo principis animum offendere metuit, ut retractato illi libro pro Galli laudibus Orphei fabulam insereret.¹³⁾ Horatium aliter sensurum vel facturum fuisse, si Caepionis et Murenae conspiratio ante editionem carminum patefacta esset, Christ¹⁴⁾ persuadere conatus est, sed mihi quidem non persuasit. Neque dubito, quin poeta, quo erat animo adversus Augustum et Maecenatem — nam huius quoque, quippe qui Murenae affinis esset, non nihil interfuit memoriam illius quam primum obliterari — carmina illa omisurus fuerit. Quod non omisit, inde videtur colligendum esse syllogen carminum in lucem prodisse, priusquam Murena in suspicionem incideret et capitis damnaretur. Quas res factas esse non a. 732, ut refert Dio res gestas suo more nimis negligenter per annos distribuens, sed posteriore parte a. 731 Kiessling ex fastis Capitolinis comprobavit.¹⁵⁾ Qua re confirmatur carmina ante finem a. 731 ad Augustum missa esse.

Sequitur, ut eum terminum, post quem ea in vulgus emissa videantur, statuere conemur. Nam ne hac quidem de re indicium deest. Kiessling enim veri reddidit simillimum carmen I. 4 ad L. Sestium Quirinum, qui medio fere anno 731 in Augusti locum consul suffectus erat, gratulandi causa scriptum atque eadem de causa in eo ipso quem tenet principali et honorifico totius syllogae loco esse positum. Quod si rectum est, efficitur, ut carmina post id quod diximus tempus putemus

⁸⁾ Suet. vita Hor. — ⁹⁾ c. IV, 2, 4, 5, 6, 9, 14, 15. — ¹⁰⁾ fasti Horatiani, c. IV, p. 51 sqq. — ¹¹⁾ Philologische Untersuchungen, zweites Heft. p. 49 sqq. — ¹²⁾ II, 10; III, 19. — ¹³⁾ Ribbeck, de vita et scriptis P. Vergili Maronis narratio p. XXIV. — ¹⁴⁾ l. l. p. 18 et 19. — ¹⁵⁾ l. l. p. 56.

in hunc ordinem redacta et evulgata esse. Quoniam igitur tres priores carminum libros inter mensem Quintilem et finem a. 731 publici iuris factos esse constituimus, eidem tempori epistolam ad Vinnium assignandam esse ex iis, quae supra demonstravimus, consentaneum est.

Iam veniamus ad eas epistulas, in quibus res quaedam, quae quando gestae sint, aliunde novimus, ita commemorantur, ut inde de nataliciis epistularum probabiliter liceat conicere.

Ac primum quidem inveniuntur non nullae epistolae, in quibus expeditionis mentio fit ab Augusto ab a. 733 usque ad a. 735 in Graeciam et orientem factae. Qua in expeditione quae ab Augusto et Tiberio gestae sint, cum a multis scriptoribus memoriae traditum est,¹⁶⁾ tum ipse Augustus in monumento quod vocatur Ancyrano ita gloriatur:¹⁷⁾

*Parthos trium exercitum spolia et signa reddere mihi supplicesque amicitiam populi
Romani petere coegi.*

Et alio loco:¹⁸⁾

*Armeniam maiorem interfecto rege eius Artaxia cum possem facere provinciam,
malui maiorum nostrorum exemplo regnum id Tigrani regi Artavasi filio nepoti
autem Tigranis regis per Ti. Neronem tradere, qui tum mihi privignus erat.*

Quae res praeclare gestae et ab aliis illius aetatis poetis¹⁹⁾ laudibus extolluntur neque ab Horatio in epistulis non commemorantur.

Ep. XII.

Legimus enim in epistula XII, 25 sqq:

*Ne tamen ignores quo sit Romana loco res,
Cantaber Agrippae, Claudii virtute Neronis
Armenius cecidit; ius imperiumque Phraates
Caesaris accepit genibus minor; aurea fruges
Italiae pleno defundit Copia cornu.*

Quandoquidem a. 734 signa militaria a Parthis reddita et regnum Armeniae Tigrani traditum esse et e scriptoribus rerum et ex nummis²⁰⁾ apparet, eidem anno hanc epistolam attribuere nihil gravaremur, nisi dubitationem inicerent verba *Cantaber Agrippae virtute cecidit*. Cantabrorum enim gentem consulibus Lucretio Sentio (a. 735) Dio narrat (54, 11) devictam esse, postquam inter res priore anno gestas nullam eius mentionem fecit. Quod si rectum esset, epistolam XII a. 735 non possemus non attribuere. Sed cave scriptori illi de temporibus temere fidem habeas. Quid enim? Horatius cum Iccium amicum in Sicilia versantem de iis rebus, quas nuper gestas ille nondum cognoverat, edocere vellet, nonne ridiculus fuisset, si subactis Cantabris eas quoque res addidisset, quae iam toto anno ante non solum factae verum etiam a populo Romano summa laetitia celebratae erant? Hoc tantum abest, ut credi possit, ut ex ipsis Horatianis versibus efficiam Cantabros eodem tempore superatos esse, quo signa Crassiana Augusto redderentur et Tigranes regnum Armeniae a Tiberio acciperet. Qua re mihi non est dubium, quin Dio hoc loco per eundem lapsus sit errorem, quem supra notavimus. Neglecta enim annalium ratione omnes res per tres annos 733, 734, 735 ab Agrippa in Gallia et Hispania usque ad eius reditum in Italiam gestas narrando ita coartavit, tanquam

¹⁶⁾ Dio 54, 8 et 9; Suet. Aug. 21. Suet. Tib. 9 et 14; Vell. II, 91. Tac. ann. II, 94. — ¹⁷⁾ Res gestae Divi Augusti ed. Mommsen p. 84. — ¹⁸⁾ l. l. p. 76. — ¹⁹⁾ Verg. Aen. VII, 605; Prop. III, 10, 13 sqq. V, 6, 79. — ²⁰⁾ cf. Mommsen, l. l. p. 86 et 77.

uno anno 735 factae essent. Quid multa? contra Ribbeck²¹⁾ contendo verum illum non obstare, quominus epistolam XII a. 734 scriptam esse iudicemus.

Cui autem huius anni parti ascribenda sit, accuratius indagantibus subsidio nobis versus ultimus esset, nisi lectio esset ambigua. Etenim si legis

aurea fruges

Italiae pleno defundit Copia cornu,

consentaneum est eam ipso messis tempore scriptam esse, sin legis *defudit*, post messem factam. Quoniam diiudicare, utra lectio germana sit, fines provinciae nostrae egreditur, quanquam Keller *defudit* recepit, priorem illam, quam omnes Blandinii perhibent, cum plerisque editoribus sequamur et epistolam nostram circiter medio anno 734 conscriptam esse statuamus.

Similis lectionum discrepantia nobis occurrit duodevicesimae epistolae tempus computantibus. Ep. XVIII. Nam cum pleraeque membranae versus 56 et 57 ita exhibeant

sub duce, qui templis Parthorum signa refigit

nunc, et si quid abest, Italis adiudicat armis,

tamen non desunt libri, in quibus legatur praeteritum tempus *refixit*. Quod si genuinum esset, fieri non potest, quin epistolam XVIII post a. 734 poneremus, id quod repugnaret eis, quae initio de vicesima epistula disseruimus. Sed cum huic lectioni non solum melioris notae codices verum etiam ratio adversetur, quod adverbio *nunc* praesens tempus requiritur, reiecta hac cum omnibus post Bentleium, quantum scio, editoribus alteram illam praeferre necesse est. Quae cum ita sint, etiam hanc epistolam anno 734 ortam esse patet. In eiusdem epistolae versu 105 est:

quem Mandela bibit rugosus frigore pagus.

Atqui Horatii Sabinos non per totum annum frigidus fuisse cum temperiem Italiae respicienti per se veri simile est tum ipse poeta testatur.²²⁾ Qui igitur fieri potuit, ut poeta hoc loco frigus fundi sui quasi conquereretur? Nonne hiemali tempore epistolam compositam esse hinc conicere licet? Ineunte an exeunte a. 734, difficile est diiudicatu: si illud praeferas, quaerat quispiam, etiamsi Crassiana signa primis huius anni mensibus reddita sint, id quod pro certo explorari nequit, num tam celeriter nuntius huius rei Romam potuerit afferri. Qua de causa epistolam XVIII equidem statuere malim sub finem a. 734 conscriptam esse.

Quo tempore Augustus ipse in Syria erat, eodem Tiberium iussu vitrici Armeniae regnum Epp. III, VIII. Tigraui tradidisse et e monumento Ancyrano et e multis quos antea diximus scriptoribus elucet. IX. Ad hanc expeditionem tertiam epistolam spectare manifestum est. E versu 15 huius epistolae cognoscimus in cohorte quam Tiberius secum ducebat nobilium doctorumque iuvenum Celsum quendam fuisse; ad quem data est ep. VIII, quam his verbis poeta orditur:

Celso gaudere et bene rem gerere Albinovano

Musa rogata refer comiti scribaeque Neronis.

Adde huc v. 14:

Ut placeat iuveni percontare atque cohorti.

Quae cum ita sint, dubitari non potest, quin ipsa quoque octava epistula eodem fere illius expeditionis tempore scripta sit.

²¹⁾ Des Horatius Episteln und Buch von der Dichtung p. 86 et 88. — ²²⁾ ep. I, 16, 6 sqq; sat. II, 3, 10.

Neque minus certo idem de epistula nona affirmari posset, qua Horatius Tiberium orat, ut Septimium quendam *gregis sui scribat*, si recte commentator Cruquianus diceret Septimium eundem esse, quem poeta in ep. III Titium appellat.²³⁾ Sed quandoquidem ante Christum natum duo nomina gentilicia nunquam videntur coniuncta esse, cavendum est, ne illi temere credamus. Neque tamen quidquam obstat, quominus et Porphyrii et Acroni fidem habeamus tradentibus Septimium eundem esse, quem in c. II, 6 poeta sic adloquitur:

Septimi Gadis aditure mecum.

Sed cum ne hac quidem re quidquam ad tempus epistulae eruendum efficiatur, restat, ut ad coniciendum confugiamus, si modo in re dubia coniecturae locus est. Quod si concesseris, nonne admodum probabile est Septimium id ipsum egisse, ut in cohortem praetoriam Tiberium in orientem comitaturam a Flacco commendatus reciperetur? Qui autem hanc opinionem propterea improbant, quia in ep. III inter nomina iuvenum Tiberium comitantium nulla Septimii mentio fiat, hi parum considerant tertia illa epistula Florum de studiis cohortis ad poesin spectantibus interrogari, quorum expers Septimius fuisse existimari potest. Quod si id tenemus epistulas III, VIII, IX — quanquam de hac non plane certum esse concedo — ad expeditionem a Tiberio in orientem factam pertinere, in tempora huius expeditionis quam diligentissime inquirere opus est.

Ac primum quidem Tiberium iam ab initio autumno anni 732 Augustum in Siciliam comitatum esse neque usquam traditum est et ea re videtur refelli, quod apud Velleium (II. 94) legimus Tiberium maximam difficultatem annonae et rei frumentariae inopiam Ostiae atque in urbe mandato vitrici moderatum esse.²⁴⁾ Quid igitur? nonne hinc suspicari licet Augustum in Siciliam autumno anni 732 proficiscentem curam annonae Tiberio in urbe remanenti tradidisse?

Deinde de Augusti itinere ita a Dione (54, 7 sqq.) edocemur, ut eum ineunte anno 733 e Sicilia profectum cum per Spartam et Athenas Samum petisset, inde vere a. 734 in Bithyniam et Syriam ivisse et postquam iterum Sami hiemasset, a. 735 in Italiam redisse constet. At de Tiberii expeditione quae a scriptoribus tradita sunt, quamvis exigua et obscura, colligamus et inter se comparemus necesse est missis iis locis, qui nihil nobis subsidii afferunt.²⁵⁾ Legimus igitur apud Suetonium (Tib. 9):

Ducto ad orientem exercitu regnum Armeniae Tigrani restituit ac pro tribunali diadema imposuit. Recepit et signa, quae M. Crasso ademerant Parthi.

Apud eundem alibi (Tib. 14):

Et ingresso primam expeditionem ac per Macedoniam ducente exercitum in Syriam accidit, ut apud Philippos — et quae sequuntur non ad nostram rem pertinentia.

Dio 54, 9 commemoratis iis rebus, quas Augustus in Syria administraverat, ita narrare pergit: *Τῶν τε Ἀρμενίων τῶν ἐτέρων τοῦ τε Ἀρταβάζου κατηγορησάντων καὶ τὸν Τιγράνην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ ἐν τῇ Ρώμῃ ὄντα μεταπεμψαμένων, ἔστειλε τὸν Τιβέριον, ὅπως τὸν μὲν ἐκβάλῃ τῆς βασιλείας, τὸν δὲ ἐς αὐτὴν ἀποκαταστήσῃ. καὶ ἐπράχθη μὲν οὐδὲν τῆς παρασκευῆς αὐτοῦ ἄξιον· οἱ γὰρ Ἀρμένιοι τὸν Ἀρταβάζην προαπέκτειναν· ὁ δ' οὖν Τιβέριος, ἄλλως τε καὶ ἐπειδὴ θυσίαι ἐπὶ τούτῳ ἐψηφίσθησαν, ἔσεμνύνετο ὡς καὶ κατ' ἀρετὴν τι ποιήσας. . . ὁ Τιβέριος μὲν δὴ ἐκ τούτων ἐγαυροῦτο, ὁ δὲ Αὔγουστος ἕς τε τὴν Σάμον ἐπανήλθε κἀνταῦθα αὐδὲς ἐχείμασε.*

²³⁾ Hauthal, v. II, p. 388 annot; cf. Acron. ibidem p. 386. — ²⁴⁾ Confer de eadem re Suet. Tib. 8 et mon. Ancyr. ed. Mommsen p. 13, ubi Augustus principum more per se ipsum factum esse gloriatur, quod illius iussu Tiberius fecerat. — ²⁵⁾ ut mon. Ancyr. ed. Mommsen p. 76 et Tac. ann. II, 3.

Quibus locis reputatis etsi certi exploratique quidquam effici nequit, tamen cum magna probabilitate ita ordo rerum constituendus videtur, ut, posteaquam Augustus sine exercitu lente Graeciam permigrasset, Tiberium breviori itinere per Macedoniam exercitum in Asiam ad illum duxisse nostro iure existimemus. Quod si recte se habet, Tiberius sub finem anni 733 Roma profectus et ineunte anno 734 cum vitrico in Asia provincia congressus et vel inde vel ex Syria in Armeniam missus esse putandus est.

Hac ratiocinatione, quamvis infirmis fundamentis eam niti iterum confitear, tamen uti, quandoquidem firmiora desunt, opus est, nisi forte, quo tempore tres illae epistolae scriptae sint, investigari posse plane desperamus. Itaque quoniam epistolam IX paulo antequam Tiberius ex Italia proficisceretur ortam esse supra veri simile reddidimus, a. 733 eam attribuere non dubito. Tertiam epistolam ad Florum datam esse non ex oriente redeuntem sed Asiae appropinquantem ex ordine locorum elucet:

*Thracane vos Hebrusque nivali compede vinctus
an freta vicinas inter currentia turris
an pingues Asiae campi collesque morantur?*

Atque Hebrum nivali compede vinctum esse poeta dicere non potuit, nisi tempus tunc fuisset hibernum. Quid multa? omnia nos vestigia eo adducunt, ut epistolam hanc paulo postquam Tiberius cum cohorte ex Italia profectus esset, hieme anni 733/4 scriptam esse censeamus.

Difficilius est de epistula octava iudicare. Ut enim certissimum est eam vel anno 733 vel 734, cum Tiberius expeditionem in orientem faceret, scriptam esse, ita nullum aliud in ea invenimus indicium, quo tempus accuratius definiatur. Nam quod Schütz²⁶⁾ e versibus 5 sqq.

*haud quia grando
contuderit vitis oleamve momorderit aestus,
nec quia longinquis armentum aegrotet in agris*

aliquid concludi posse opinatur, assentiri ei non possum. Neque enim verba haec ad ipsum Flaccum nostrum spectant, in cuius Sabinis nec vites nec armenta in longinquis agris erant, sed universe dicuntur de iis rebus, quibus in hominum animis sollicitudo et tristitia soleat moveri. Aliud tamen confirmare ausim: cum in octava epistula poeta conqueratur se *vivere nec recte nec suaviter*, quia quadam animi aegritudine et morositate vexetur, contra tertia epistula plena sit facietiarum leporisque, fieri non potest, ut eodem tempore duas has epistulas conscriptas esse arbitremur. Et quoniam supra vidimus tertiam paulo postquam Tiberius ex Italia decessit ortam esse, octava ante illam scribi vix potuit. Relinquitur, ut eam post tertiam tanto temporis spatio interiecto, ut animum poetae interim mutatum esse non sit mirum, in Asiam ad Celsum putemus missam esse. Tamen post medios anni 734 menses eam hanc ob rem collocare nolim, quia Armeniarum et Parthicarum rerum ne minimam quidem poeta mentionem facit, id quod iure miraremur, si iam de iis esset certior factus. Quia eadem de causa eam ante duodecimam scriptam esse necesse est, veri a. 734 in aestatem inclinanti eam ascribendam iudico.

²⁶⁾ In editione sua III, p. 77.

Postremo ut brevi comprehendam, quae de tribus his epistulis eruisse mihi videar, nonam a. 733, tertiam hieme 733/4, octavam vere a. 734 scriptas esse admodum veri simile est.

Quoniam igitur epistolam octavam priore et duodecimam media et duodevicesimam extrema a. 734 parte ortas esse non nulla cum probabilitate constituimus, sequitur, ut ad id, quod supra de vicesima disseruimus, iam addamus eam, ut quae postrema totius libri sit, post illas paulo ante VI. Id. Dec. 734 scriptam et totum librum sub finem huius anni editum esse.

Ep. XV.

Transeamus iam ad ep. XV, qua Horatius Numonium Valam amicum suum certiolem facit se ab Antonio Musa medico iussum esse valetudinis causa hiemem insequentem vel Veliae vel Salerni degere frigidisque balneis uti. Constat anno 731 Augustum gravissimo affectum morbo, cum iam ab omnibus medicis desertus esset, ab illo Antonio Musa frigidis balneis potionibusque esse sanatum.²⁷⁾ Quo factum est, ut Antonius illustre sibi nomen pararet et permulti aegri novam eius medendi rationem sequerentur; quod de Marcello Augusti genero Dio Cassius (53, 10) memoriae prodidit. Quodsi ex ep. XV, 3 perspicitur ipsum quoque Horatium Musae auctoritate ut *gelida unda perhueretur* commotum esse, vix dubium est an hoc consilium inierit, posteaquam Antonii nomen sanato principe inclaruerit. Qua de causa epistula haec autumno aut ipsius anni 731 aut posterioris alicuius videtur conscripta esse.

Ep. XVI.

Idem in epistolam XVI cadere profecto concedes, cum versum 14 legeris, quo Horatius fonti Sabinorum suorum hanc tribuit laudem:

infirmo capiti fuit utilis, utilis alvo.

Ita scribere non potuit poeta, antequam ipse balneorum frigidorum ab Antonio commendatorum expertus esset salubritatem. Qua re mirum non est, quod Horatius in carmine III, 13 ante 731 composito eundem fontem ita laudat, ut *pecori vago et tauris frigus amabile* eo praeberi praedicet, taceat de suis ipsius balneis.

Huic ratiocinationi, qua epistolam XVI et post XV et post 731 putamus scriptam esse, illud si non favet, certe non obstat, quod Horatius in versu 29 cognomine Augusti utitur, quod anno 727 a senatu Octaviano inditum esse Dio tradit.²⁸⁾ Aliam temporis notam in hac epistula invenio nullam. Neque enim ex *Septembribus horis* quidquam potest colligi, quia poeta hoc loco nihil aliud videtur spectare, nisi ut villam suam etiam gravissimo anni tempore esse saluberrimam confirmet.

Ep. V.

Epistula V pauca nobis adiumenta praebet ad computanda tempora. E versu nono apparet poetam eam scripsisse pridie diei natalis Caesaris; sed docti viri dissentiunt, utrum Octaviani an Divi Julii natalem spectaverit. Itaque hac de re paulo fusius disserendum est.

Ac primum quidem diem natalem dictatoris Caesaris publice celebrandum triumviri rei publicae constituendae a. 712 a Dione (47, 18) traduntur decrevisse. Quod post pugnam Actiacam, ut Franke²⁹⁾ suspicatur, in oblivionem venisse neque per se veri simile est et calendariis Amiternino et Antiatino refutatur.³⁰⁾ Est enim in Amiternino ad a. d. IV. Id. Jul. ascriptum: *ludi feriae, quod eo die C. Caesar est natus*, et in Antiatino: *ludi Divi Julii natalis*. Inde apparet temporibus Tiberii et Claudii, quibus calendaria illa confecta esse constat, diem natalem dictatoris Caesaris publicis ludis feriisque celebratum esse. Qua re non nulli adducti sunt, ut cum Porphyrione censerent diem festum, quem Horatius in ep. V, 9 commemorat, Divi Caesaris natalem esse. Cui sententiae tamen non

²⁷⁾ Dio Cass. 53, 30. — ²⁸⁾ 53, 16. — ²⁹⁾ Fasti Horat. p. 203. — ³⁰⁾ Corp. inscr. lat. I, p. 323 et 327.

assentior, quod Flaccus nomine Caesaris de hoc non utitur nisi duobus locis, ubi toto sermonis contextu nulla admittitur dubitatio,³¹⁾ sed vicies septies praeter nostrum locum de Octaviano. Adde quod etiam huius natalicia inde ab anno 724 ex senatus consulto publice celebrata esse Dio 51, 19 narrat. Quibus de causis mihi quidem dubium non est, quin hoc quoque loco Caesaris nomine Octavianus designetur et epistula scripta sit pridie a. d. IX. Kal. Oct., quo illum natum esse Suetonius tradit.³²⁾ Illud miror quosdam viros doctos vocabulo illo *aestivae noctis* offendi, quasi vero ignorent in Italia Septembres noctes interdum tam tepidas esse, ut recte possint vocari aestivae. Eadem de causa opus non est emendatione, qua Meineke *festivam* posuit.

Incertior die annus est, quo epistula quinta orta esse videatur. Quanquam versus quartus
vinu bibes iterum Tauro diffusa
 hoc quidem ostendit eam post 728, quo Statilius Taurus iterum consul fuerat, compositam esse. Aptissime ad hanc quaestionem Franke³³⁾ attulit locum quendam Athenaei, quo docemur nullum Italicum vinum ante quintum annum potari posse. Quo efficitur, ut epistula nostra scribi non potuerit ante annum 733. Quod praeterea Franke nobis persuadere conatus est epistolam anno 734 exaratam esse propter unam hanc rem, quod illo anno dies natalis Augusti maiore apparatu ac splendore quam antea celebratus esset, quippe quo ludos equestres editos et venationes ab aedilibus institutas esse Dio narraret,³⁴⁾ id, etsi potest rectum esse, tam levi tamen argumento firmatur, ut nos quidem eo, quod supra statuimus, malimus contenti esse quam pro vero certoque ponere, quod incertum et fortasse falsum sit.

Epistula quarta nullam temporis notam habet nisi quod e versu primo elucet eam scriptam esse post satirarum libros. Et quoniam Tibullum poetam anno 735 mortuum esse ex epigrammate quodam Domitii Marsi novimus, post hunc annum epistula nequit scripta esse. Neque vero in ipsius Tibulli carminibus quidquam potui invenire, quod ad tempus accuratius definiendum lucem adferat. Tertio autem nostrae epistolae versu perspicitur Tibullum tunc temporis iam elegiis non nullam sibi parasse famam. Qua de causa cum illum admodum iuvenem a Morte ad Elysios campos missum esse Domitius Marsus queratur, extremis vitae eius annis epistula Horatiana videtur adscribenda esse. Ad idem tempus meliore etiam iure epistula iis referenda est, qui verba *nostrorum sermonum candide iudex* non ad satiras sed ad epistulas spectare existimant. His enim versu tertio vicesimae epistolae

Ep. IV.

paucis ostendi gemis et communia laudas

Horatius videtur indicare epistulas, antequam publici iuris eas faceret, cum paucis se amicis communicasse, in quibus Tibullum fuisse veri non est dissimile. Sed mihi haec sententia non placet, quia *paucos* illos non alios intellego nisi eos, ad quos epistolae scriptae sint. Sed utcumque res se habet, haec dissensio nihil valet ad tempus epistolae constituendum, quam paucis annis ante mortem Tibulli compositam esse demonstravimus.

Epistolam XIV post carmina Aelio Lamiae dedicata (I, 26 et III, 17) scriptam esse sunt qui e versu sexto concludere voluerint, quo Lamiae mors commemoratur.³⁵⁾ Quod quanquam reputanti totam Horatii vitam et tempora poematum mihi valde probabile videtur, tamen e versu illo necessario efficiendum esse nego his de causis: Duos fratres huius nominis fuisse ex ipso hoc loco apparet; quorum alterum a. 787 senem mortuum esse Tacitus (ann. VI, 27) narrat, alter mortem

Ep. XIV.

³¹⁾ C. I, 2, 44: *patiens vocari Caesaris ultor*; sat. I, 9, 18: *prope Caesaris hortos*. — ³²⁾ Suet. Oct. 6. — ³³⁾ p. 202. — Athen. I, 48. — ³⁴⁾ 54, 8. — ³⁵⁾ Schütz III, p. 103.

obiit paulo antequam Horatius epistolam ad vilicum conscriberet. Uter ab Horatio in c. I, 26 et c. III, 17 appelletur, disceptari non potest. Nihil habemus, cur existimemus illum esse eundem, cuius mortis in epistula XIV mentio fiat. Si autem ad superstitem Lamiam carmina illa scripta sunt, id quod eodem iure credi potest, nihil ex illis de tempore epistolae nostrae colligere licet.

Ep. VI.

Eclogam sextam post annum 729 ortam esse necesse est constituere, quod porticum Agrippae versu 26 commemoratam illo anno aedificatam esse Dio (53, 27) memoriae prodidit. Alia temporis indicia in hac epistula invenio nulla.

Ep. II.

Secunda epistula quin ad eundem Lollium scripta sit, ad quem duodevicesima, vix dubitaveris. Nam quod Acro tradit³⁶⁾ hunc Lollium ad consulatum pervenisse merito virtutis et beneficio Caesaris, id pro nihilo puto. Nam praeter eum Lollium, qui anno 733 consul fuit,³⁷⁾ nemo huius nominis consulatu functus est. Epistolam autem illam a. 734 scriptam esse supra ostendimus. Quid igitur? nonne ineptissime, ne dicam insolentissime, Horatius consulari viro talia praecepta dedisset, qualia in epistula XVIII legimus? Suo igitur iure viri docti, quod sciam, omnes putant Lollium consulem vel patrem vel aliquem natu maiorem agnatum eius fuisse, ad quem duae epistolae Horatianae scriptae sint. Hic postquam *sub Augusto duce puer saevam militiam et bella Cantabrica tulit*,³⁸⁾ reversus cum illo in Italiam anno 729 vel initio anni 730³⁹⁾ Romae in studia eloquentiae⁴⁰⁾ videtur incubuisse eo consilio ut postea ad rem publicam accederet. Quod si Horatius eum epistolae secundae versu 68 appellat *puerum*, habemus, quod hanc epistolam paulo post reditum eius ex Hispania et paucis annis ante duodevicesimam putemus ortam esse, quam ad exeuntem annum 734 supra rettulimus. Nimis argute meo quidem iudicio Franke⁴¹⁾ e versu 52

ut lippum pictae tabulae, fomenta podagrum

aliquid de temporum ratione eruisse sibi visus est. Etenim ita eum interpretatus est, tanquam poeta hoc loco *antiquatam illam curandae podagrae rationem oblique cum levi contemptu respexisset, quae post nobilitatem Antonii Musae curationem penitus explosa esset*. Hoc si rectum esset, epistolam sequeretur scriptam esse vel ipso anno 731 vel paulo post.⁴²⁾ Verum etsi *fomentum* a verbo *focendi* derivatur, tamen in illo vocabulo notio caloris sensim adeo evanuit ut non minus recte de frigidis cataplasmatis usurparetur. Ita et noster in ep. I, 3, 26: *frigida curarum fomenta*, et Suetonius in eo ipso, quem Franke attulit, loco:⁴³⁾ *contrariam et rationem uncipitem medendi necessario subit, quia calida fomenta non proderant, frigidis curare coactus auctore Antonio Musa*. Qua de causa si poeta id, quod Franke eum dicentem fingit, dicere in animo habuisset, adiectivum *calida* ei adiciendum fuit. Quod quoniam non adiecit, perspicuum est eum hoc loco nihil egisse, nisi ut declararet fomentis dolores podagri in praesentia mitigari neque tamen morbum ipsum tolli. Itaque reiecta illa praestantissimi viri sententia contenti esse debemus eis, quae supra exposuimus, epistolam secundam ortam esse anno 730 aut anno 731 aut 732.

Ep. X.

De epistolae decimae tempore nihil possumus constituere nisi hoc unum, quod e versibus 2 et 49 elucet eam scriptam esse posteaquam Horatius Sabinos suos accepisset (720 vel 721).

Epp. XI et XVII.

Quoniam epistulis XI et XVII indicia temporum prorsus desunt, relinquitur, ut de tribus iis epistulis, quas Horatius ad Maecenatem scripsit, paucis disseram. Quarum primam prologum

Ep. I.

³⁶⁾ Hauthal II, 472. — ³⁷⁾ cf. p. 1. — ³⁸⁾ ep. XVIII, v. 55. — ³⁹⁾ Mommsen, römische Geschichte V, p. 58; idem, mon. Ancyrae, p. 71. — ⁴⁰⁾ declamas II, 2. — ⁴¹⁾ p. 200. — ⁴²⁾ v. supra p. 8. — ⁴³⁾ Suet. Octav. 81.

totius libri haberi voluisse poeta putatur non solum propter principalem quem tenet locum, sed etiam propter argumentum. Nam spatio paucorum annorum post editos carminum libros intermisso Horatius a Maecenate etiam atque etiam rogatus erat, ut denuo carmina pangeret — utrum melica an heroica, quibus res ab Augusto praeclare gestae celebrarentur, in medio nunc relinquamus —. At poeta, quid possit ingenium suum, quid non possit non nescius, ut ante recusaverat, ne Maconii alitis vestigia premeret neu Agrippae vel Augusti proelia diceret⁴⁴⁾, ita tunc quoque tantum opus aggredi ausus non est. Atque etiam defecerat eum divinus ille spiritus, quo inflatus iuveni ardore melica composuerat carmina. Totum se dederat severioribus sapientiae studiis; quid verum atque decens esset, non solum ipse discere⁴⁵⁾ verum etiam alios, inprimis amicos suos docere in animum induxerat. Inde epistulae nostrae ortae sunt; quas cum in eo esset ut in unum librum comprehensas in lucem ederet, erat quod timeret, ne amicissimi sui fautoris voluntati parum satisfaceret. Itaque nihil habuit antiquius, quam ut excusationem quaereret persuaderetque Maecenati ea studia, in quae tunc incubisset, et aetati atque menti suae magis convenire et utiliora esse ad bene vivendum quam *versus et ludicra*. Cuius rei causa epistulam primam composuit et Maecenati dedicavit et in primo totius libri loco locavit. Quae si recte a nobis disputata sunt, necesse est paucis diebus antequam librum publici iuris faceret, eam scriptam esse censeamus. Idem in vicesimam epistulam cadere supra exposuimus; utra prior sit, non ausim diiudicare. Satis habeamus statuere et primam et vicesimam epistulas post omnes ceteras postremis a. 734 mensibus confectas esse. Qua re quoniam efficitur reliquas duas ad Maecenatem scriptas epistulas priores esse, opus est aetatem earum accuratius indagare.

Undevicesimam, qua Horatius apud amicum se defendit ab obtrektoribus aemulisque quibusdam, post lyrica carmina compositam esse apparet e versibus 32 et 33: Ep. XIX.

*hunc ego non alio dictum prius ore Latinus
volgavi fidicen.*

